

in omni mense lunari ad incrementum bissextile XVIII momenta et athomos CCXXVIII constat procrecere.

Si cui autem minus perspicaci taediosum forte videtur minutissima temporum spacia in athomis discutere, hac compendiosiori faciliore utatur
 95 calculatione, scilicet ut XCVI athomos in unum redigat, sicque de una hora CCXXXV particulas faciat. Tales ergo particulas supra XXVIII dies et XII horas lunaris mensis CLXXIII habere probatur. E quibus LX embolismorum completionem tribuat, reliquas CXIII bissextilibus diebus transmittat^t. Punctus autem lunaris tales particulas XLVII recipit, hora
 100 CCXXXV^u, dies naturalis VDCXL.

His tandem, o affabilis amice, ita investigatis, ex tanta scrupulositate animi absolutus, *omnium largitori bonorum* Deo devotus *gratias* egi¹², tibi que haec per hanc rusticitate^v squalentem transmittere scedulam praesumpsi, de tui prudentia pietateque mihi nimium nota confidens, quod et ea pia
 105 probatione examinando corrigas, mihi que quod inde sentias per rescriptum tuum notificare non omittas. Vale.

Dulcis amice, bonum summum quod constat et unum,
 A quo cuncta fluunt, ad quod bona cuncta recurrunt,
 Te sibi devotum faciat sine fine beatum.
 110 Praestet et indigno mihimet quod sedulus opto,
 Hoc et ut in^w mundo^w merear te cernere crebro,
 Et post hanc vitam tecum per saecula vivam.

t) transmisit Hs.
 w) immundo Hs.

u) CCXXXVI Hs.

v) *verbessert aus* rusticitate Hs.

¹²⁾ Helperich, Liber de computo c. 38, Migne PL 137, 48.